



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Recollectio Spiritvalis**

**Masen, Jacob**

**Coloniae Agrippinae, 1691**

Capvt II. De Meditationis ingressu, applicationis modo, & materiæ  
diversitate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60213)

## EXERCITIOR. SPIRITUAL. 5

In via purgativa duo tantum præludia sunt. *Ex 2. 3. & 4. Hebd.*  
Sed in aliis viis, tum quando historia aliqua, aut mysterium vitæ Christi expenditur, tria adhibentur. Quia in primo præludio summa rei gestæ est, in altero loci imaginatio & compositio formatur, in tertio gratia petitur, ut in exemplis infra patebit.

### CAPVT II.

*De Meditationis ingressu, applicationis modo, & materia diversitate.*

**U**Bi sic præparatus accesseris, ipsam deinde contemplationem aggredieris: nunc prostratus humi, & pronus, aut supinus jacens; nunc sedens, aut stans, & eo te componens modo, quo facilius speres, te id quod optas, consecuturum. *De compositione ad meditandum. Ex Ad-dit. 4.* Quod si flexis genibus, vel alio situ assequaris, nihil ultra requires. Deinde in puncto, quo assecutus quæsitam devotionem fueris, acquiescendum erit, sine transcurrendi anxietate, donec tibi satisfeceris.

In singulis verò punctis tres animæ potentiæ ita exercentur, ut *Memoriâ* recolatur quidquid ad præsentem spectat materiæ partem *De applicatione mentis.* (aliis omnibus sepositis) *phantasiâ* eidem sub-

A 3

venien-



Ex 1.  
Hebd.  
Exerc. 1.  
& 2.  
Et 2 hebd.  
Exerc. 3.

veniente, ut personarum vultus, motus animorum, rerum situs, & atrocitas vel gratia, aliæque, quibus velut ad vivum res depingitur, adjuncta repræsententur. Ex his deinde *intellectus* per discursum à causis, exemplis, similibus, aut dissimilibus, præteritis etiam futurisque adhibitis, varia colligit ac concludit, quibus postremò incitata *voluntas* in varios fugæ, aut prosecutionis affectus solvitur, & statuit facienda.

De materia  
diversitate, &  
via tripli-  
plici.

Purgativa.

Illuminativa.

Materia rerum meditandarum triplex potissimum ab effectu & operatione sua censetur, vel enim ad hominem à peccatis pravisque affectionibus purgandum servit; ut sunt omnia, quæ timorem Dei dolorémque de peccatis incutiunt. Quemadmodum novissima sunt hominis: mors, judicium, infernus; tum ipsorum peccatorum fæditas, gravitasque pœnarum illis imminantium. Et hæc ad perfectionem *via purgativa* vocatur. Vel illuminat in virtutis gratiæque divinæ æstimatione hominem; ut Christi & Sanctorum exemplo ductus ac stimulatus, ejus imitandi in omni virtutum genere flagret desiderio & amore; cæterarum verò in terris rerum fastidio & aversione capiatur. Et huc tota Christi vita, sive in agendo, sive in patiando, quæ nobis in exemplum sanctitatis proposita est, spectat, diciturque *via illuminativa*. Vel denique purgatum jam à vitiis, illuminatum in virtutum exercitatione homi-



## EXERCITIOR. SPIRITUAL. 7

hominem, cum Deo per intellectum, affectumque in contemplatione & amore Dei, ceterarumque rerum propter Deum, conjungit, & diversis affectibus circa Deum versantibus, ut gratiarum actione, admiratione, gaudio, gratulatione de tanta ipsius bonitate cæterisque perfectionibus, zelo animarum, & divinæ gloriæ, resignatione in voluntatem ipsius intimè unit; unde & *via unitiva* appellatur. Non tamen existimandum, quod hæc viæ affectusq; ita distinguantur, quasi non soleant permisceri, cum peccatum vitari sine virtutis studio non queat; & hoc peccator, non solum ex metu inferni, sed amore etiam Dei averfari possit, & merito debeat.

*Unitiva.*

### CAPVT III.

#### *De exercitio intellectus inter meditando.*

Nunc de exercitio intellectus, sive discursu ex proposita materia formando, paucis agendum est. Certum est, moveri quemlibet inventis abs se rationibus argumentisque potius, quam ab aliis traditis; quod illa plerumque magis penetrentur, altiùsque animo insideant. Quare cum à Meditationum scriptoribus materia subjicitur, & indicantur tantum puncta:

*Meditantes inventis magis, quam ductis scripto rationibus moverentur.*

A 4

Ratio-